

in domo Jacob in æternum. Ut enim domus Jacob ab ipso per duodecim ejus filios propagata est et aucta: ita Ecclesia a Christo per duodecim ejus apostolos. Rursum, quia duodenarius est numerus perfectus et symbolum universitatis, ideo universam Ecclesiam indicat judicandam iudicio scilicet discussionis. Nam qui non credunt, jam iudicati sunt, id est, jam destinati ad penam. Discimus hinc honorare personas religiosas, et bene de illis sentire, utpote, quas audimus, aliquando iudici nostro assessuras, et suam in nos sententiam dicturas. Isaacus Comnenus orientis imperator, cum monasteriorum bona fisco addidisset, et ex stipe monachos vivere coegisset, fulminum ictibus in se de cælo ab irato Deo jactis, coactus est ponere purpuram et monasticum habitum assumere, sicque inter monachos, servilia munia obire, qui prius vexavit monachos, Curopalates, apud Baronium, anno 1057. Ita religiosi: *Erunt capientes eos, qui se ceperant, et subjicient exactores suos, Isaia XIV. in die iudicii.*

VII. Quænam illa merces relinquentium omnia: Centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit? Resp. esse duplicem, unam hujus vitæ, alteram futuræ. Cum enim bene noverit Dominus plurimum ad laborem nos excitari spe præmii, non satis existimavit, quod promitteret suis operariis salarium in fine diei, nisi etiam promitteret sustentationem interim et mensam. Anima enim nostra duplicem habet statum, alterum in corpore mortali: alterum post mortem. In primo arat et seminat, laborat, pugnat, vincit: in altero colligit laborum suorum fructum, et coronam victoriarum: sed ne spiritus et corpus in laboribus præsentibus deficeret, opus erat, aliquos etiam fructus præsentis colligere, et præmia recipere victoriarum. Ergo Christus in hoc sæculo dat religiosi centuplum, ut expresse scribit S. Marcus: in altero vitam æternam. Non deserunt religiosi, vel certe non debent deserere res terrenas, ut

easdem in hoc mundo recipiant multiplicatas (alias enim non tam deserere, quam quærere terram censendi forent) nihilominus tamen Christus suam liberalitatem erga ipsos in hoc sæculo ostendit, reddens ipsis pro aliquibus rebus a se relictis centuplum in eodem genere, ea tamen ratione, ut id ipsis non nocere, sed prodesse possit. Pro una enim domo, aut agro relicto, dat eis centum domos, vel agros, non quoad dominium (quia hoc eis obsesset plus quam prodesset), sed quoad usum ad sublevandas eorum necessitates; vel si non dat redditus annuos, dat saltem elemosynas nunquam deficientes. Similiter pro uno patre, vel matre, fratre, vel sorore, dat centum, qui exhibeant eis officium patrum vel matrum, affectum fratrum vel sororum. Nemo igitur invidet monasteriis et monachis suos redditus vel divitias, a Christo ista possident et quidem absque læsione voluntariæ paupertatis. Quin potius conemur, ut etiam nos hujus promissionis participes fiamus, quod fieri posse ostendit nobis apostolus, I. Tim. IV. cum ait: *Exerce te ipsum ad pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est? Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, et futuræ.* Si enim magni principes præter magnum stipendium quod suis aulicis dant in fine auni, dant quoque ordinariam quotidie portionem pro ipsorum mensa et equorum pabulo, pro cuiusque officio vel dignitate, cur non id faciat Deus? Vel enim dabit opes et subsidia copiosa, vel dabit eis industriam ad bene dispensandum id quod habent modicum, ut sufficiat, vel certe defectum compensabit spiritualibus bonis, quibuscum ei bene sit etiam in inopia.

Ergo, auditores, ut etiam nos centuplum capiamus in hac vita, et millecuplum in altera, pietatem sectemur et quemadmodum Hercules clavam suam nunquam deposuisse fertur, ita pietatem amplectamur, ut nunquam deponamus

IN FESTO PURIFICATIONIS B. M. V.

EVANGELIUM. Luc. II.

Postquam impleti sunt dies purgationis ejus, secundum legem Moysis, tulerunt illum in Hierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur; et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon, et homo iste justus et timoratus, expectans consolationem Israel; et Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat Simeon a Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo; et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit: Nunc dimittis servum tuum Domine secundum verbum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium et gloriam plebis tuæ Israel.

CONCIONES.

- I. Cur Christus præsentari in templo, et Deipara purificari voluerit.
- II. Quæ potissimum primogenita Deo offerenda.
- III. Cur hominis primogenitum, quomodo Deo offerendum.
- IV. Quousque voluntas nostra conformanda sit divinæ.
- V. Senes instruuntur exemplo Simeonis.
- VI. De puritate doctrinæ catholicæ et sectarum impuritate.
- VII. De cereorum significatione.

- VIII. Documenta.
- IX. Mysteria.

CONCIONES AUCTARIÆ.

- I. Processio hodierna ordinatur.
- II. Varii virtutum cerei variis distributi.
- III. Mutua conjugum officia a columbis præscripta.
- IV. Turtures christianum hominem instruunt.
- V. Quarum rerum nos admoneant cerei sacri manibus gestati hodierna die

CONCIO I.

CUR CHRISTUS PRÆSENTARI IN TEMPO ET DEIPARA PURIFICARI VOLUERIT.

- I. Ut doceret obedientiam. — II. Ut doceret humilitatem. — III. Ut doceret gratitudinem. — IV. Ne cui scandali occasionem præberet. — V. Ut docerentur pueri a teneris Deo servire. — VI. Ut doceremur studere puritati.

THEMA.

Tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino. Luc. II.

Conveniunt ss. patres neque Christum neque ejus matrem legibus illis comprehensos fuisse.

V. PARS FESTIVALIS.

quæ in hodierno allegantur evangelio; siquidem Scriptura non obscure illos eximit. Lex prior erat, ut: *Mulier, si suscepto semine peperit masculum, immunda esset, etc.* quæ habetur Levit. XII. sed hic clare excipit Deiparam, quæ non suscepto semine, sed de Spiritu sancto concepit filium: altera erat: *Omne masculum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur, etc.* quæ habetur Exod. XIII. sed hic excipit Christum, qui dum nasceretur, claustrum virginitatis non violavit, ut Ecclesia canit et semper docuit. Cum igitur o Deipara, nil tibi et filio tuo sit cum istis legibus, quo progredieris cum illo, mulier amicta sole? Cur te purificatum, illum is oblatum? Audiamus.

- I. Ut docerent nos obedientiam. Cum enim

effrenis homo ægerrime submittat cervicem jugo legum divinarum et humanarum juxta id Jer. II. *A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea et dixisti: Non serviam*, quasi diceret: Ab initio et a primis tuis parentibus hæreditasti hoc vitium inobedientiæ, idcirco Deus ipsemet voluit se submittere jugo legum suarum, licet ad eas tamquam supremus legislator minime obligaretur, et in ipsa lege minime comprehenderetur, ut sic subditos suos ad earundem observationem invitaret, immorigeros confunderet. Refert Polyænus, libro IV. quod Alexander M. Tyrum oppugnans, cum amplam follam mœnibus Tyrionum adjectam superare cuperet et milites cunctantes videret, primus ipse corbem arena plenum apportavit. Milites ergo cum regem suis manibus imperata facientem viderent abjectis chlamydibus regem imitari celeriter fossam æquarunt, atque ita tandem Tyrum occuparunt. Proposuit Deus diripiendum nobis regnum cælorum, potissimum sub lege gratiæ. Sic enim Matth. XI. ait Dominus: *A diebus Joannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud*. Ad occupandum tamen illud necesse est implere fossam quæ circumdat illud, id est, præcepta adimplenda, quorum impletione sunt prava in directa et aspera in vias planas, quod faciendum prædicabat Joannes. Hoc vero cum difficile hominibus videretur, idcirco Dei Filius in mundum venit, ut in observatione mandatorum suorum præteret et exemplo suo, nos animaret ad perficiendum id, quod non ipsi, sed nobis incumbebat. Itaque summus legislator, suæmet legi, quæ ipsum non concernebat, hodie (ut et alias in circumcissione, etc.) se subiecit, dum juxta legem Dei olim præscriptam offerri et redimi in templo voluit, quamvis ea lex cæremonialis tantum esset. Quis ergo nostrum modo non alacriter imitetur exemplum regis nostri? Quis molestum aut difficile nedum impossibile dicere audeat servari Dei præcepta? Ejusdem obedientiæ exemplum nobis Deipara est, quæ cum lege purificationis non comprehenderetur, eam tamen exactissime observavit; qui summus obedientiæ gradus est. Primus enim gradus est observantium præcepta sicut debent: secundus, observantium accuratius et cumulatus quam debent: tertius, observantium ea, quæ omnino non debent. Summam igitur filii obedientiam et mater imitata est: *Nec mirum*, ait D. Ambrosius, de purificatione, *si mater observat legem, quam ejus filius non venerat solvere sed adimplere*. Quod si igitur Christus et Mater ejus observant, qui non debent: nos ea, quæ debemus, observare dubitabimus? Nimirum ea re demonstrare nobis volebant, quanta in veneratione habendæ essent

divinæ leges, quantique momenti ac necessitatis sit vivere ad normam earum. Non enim frustra ter repetitur in hodierno evangelio legis præscriptum. Primo: *Secundo legem Moysi*: secundo: *Sicut scriptum est in lege Domini*: tertio: *Secundum quod dictum est in lege Domini*. Hac enim legis inculcatione nobis insinuatur, quam omnes nostri cogitatus, sermones et actus conformari divinæ legi debeant, quemadmodum et Christus omnia sua voluntati Patris conformabat: imo et legibus humanis, quia allegatur etiam lex Moysis. Quam turpiter errant igitur, qui legunt fræna excutientes, noxiam libertatem quærunt, et omnia ex proprio sensu facere volunt? Quam turpiter et illi, qui potius mundi legibus ac moribus regi, quam divinis et sacris volunt? Lex mundi jubet injurias illatas non ferre sed ulcisci, contumelias replicare, pompam statui decoram, ducere potius quam debita solvere, etc. Hæc sedulo observantur: sed præcepta Dei parvi penduntur, imo sectatores mundi pudet aliquo modo, ex præscripto legis divinæ aut ecclesiasticæ agere quæ agunt: pulchrius enim reputant si ex proprio motu confiteantur, audiant sacrum, jejument, etc. ne quasi compulsi plebeiorum more coacti id facere videantur. Quæ sane diabolica vesania est, et merito obedientiæ eos privat. Docentur et hoc exemplo magistratus prætere in servandis præceptis quæ vel ipsi sanciant vel promulgant ne similes sint legislatoribus sedentibus super cathedram Moysis, qui imponebant onera gravia, et digito suo nolebant ea movere; sed potius pastori bono, qui ante oves suas vadit, quemadmodum hodie Christus fecit.

II. Ut docerent nos humilitatem, quam etiam virtutem difficillime addiscunt superba hominum capita: Christus quidem hanc docet, dum servorum legem subire et instar servi offerri voluit: siquidem ea potissimum de causa Deus primogenita offerri sibi voluit, Exod. XIII. quod ei in perpetuam servitum addicta sint omnia: *Mea sunt enim omnia*, ait. Deipara vero dum, quasi non virgo, instar aliarum matrum purificatione opus haberet, per quadraginta dies templi ingressa juxta præceptum Domini, Levit. XI. abstinere, se domi continere, et postmodum in templo purificandam exhibere, inter alias matres consistere, adeoque quasi purificationi obnoxia se sistere non dubitavit, cum tamen in conceptu et partu Christi angelos puritate vinceret. Qua in re filius et mater perfectissimum humilitatis gradum attigerunt. Sunt enim qui intellectus sunt humiles, sed non voluntate: fatentur enim se peccatores, defectibus obnoxios et

omni supplicio dignos; sed nolunt tales ab aliis haberi, imo boni potius reputari: bona sua cupiunt prædicari, mala nesciri. Non sic Christus et Maria qui etiam voluntate humiles fuerunt, quia etiam ab aliis vilipendi amaverunt. Etenim Christus in monte Thabor seorsim ostendit gloriam suam coram tribus tantum discipulis: passionis vero ignominiam pertulit in monte Calvariæ coram ingenti multitudine. Idem gloriosam natiuitatem suam paucis tantum pastoribus voluit annuntiari, ministerio angelorum, hodie vero ut servus voluit in templo publice offerri. Similiter Maria non ore se prædicabat similem aliis matribus, sed re ipsa talem se præferebat, ut nemo de ea aliter opinari posset, cum tamen longe diversa mater esset ab aliis matribus. Alii jure se humiliant, quia habent in se causam humilitatis, sortes peccatorum et defectus, vel notam servitutis alteriusve debiti. Nihil horum in Christo, nihil in Maria: neque enim servus, Christus, neque imunda erat Maria, nihilominus quasi tales in templo se sistunt: cum tamen ille Dominus, hæc virgo esset. Potuisset illa dicere, ut S. Bern. serm. III. in purif. ait: « Quid mihi opus purificatione? Cur abstineam ab ingressu templi, cujus uterus nesciens virum, templum factus est Spiritus sancti? Cur non ingrediar templum, quæ Dominum peperit templi? etc. Vere o beata virgo, vere non habes causam, nec tibi opus est purificatione. Sed numquid Filio tuo opus erat circumcissione? Esto. inter mulieres tamquam una earum, nam et Filius tuus sic est in numero puerorum. » Sic Bernard. Suetonius in Augusto, refert Juliam filiam Augusti de fastu nimio correctam, respondisse: *Quid pater se Casarem esse oblitus est?* Sed quanto nobilior Dei mater filia Augusti? Sciebat illa se Dei matrem, dissimulabat tamen, et ita se gerebat ipso opere, ut nemo de ipsa amplius quid opinari posset, quam de aliis matribus. Et quantum hic Dei Filius et Mater nostram arguunt superbiam? Nos, si vel modica re alios præcellimus, statim videri volumus, splendide vestiri, honoratori titulo insigniri, digniore loco consistere, priore loco incedere, nullis denique æquare; deinde, verbis nos humiliamus et humiles videri volumus, sed ab aliis contemni, ut viles tractari, et vitia nostra nobis objecta audire nequaquam volumus. Sane Deipara sciebat se matrem esse summi Regis, se gestare in sinu suo Regem cælorum: unde cogitare poterat: O si scirent homines quanta regis matrem sum! Quantum Dominum in brachiis gesto! Quanta gloria et pompa cum filio meo exiperent? Sed ipsa, quasi hæc omnia nesciret, velut una ex aliis feminis, humiliter in templum venit, non prædicavit glo-

riam Filii sui, ne videlicet suam quærere videretur.

III. Ut docerent nos gratitudinem erga Deum, divinaque beneficia. Altera enim ratio, cur primogenita Deus sibi offerri præciperet, erat, quod Hebræorum primogenita servavit, quando in Ægypto angelus Domini omnia Ægyptiorum primogenita percussit, Exod. XII. quam rationem subdidit Moyses, Exod. III. Ita propter hoc beneficium Judæis olim a Deo impensum in gratiarum actionem sistit Deipara Filium, necnon et Filius se ipsum coram Deo Patre. Ubi docemur gratias agere Deo etiam pro beneficiis, quæ majoribus nostris impendit, veluti pro conservata patriæ nostræ datis, pro optimis et catholicis principibus, pro constantia martyrum, foundationibus monasteriorum et diocesium, etc. Quemadmodum enim Israelitæ innumeri nunquam futuri erant, si primogenita Hebræorum in Ægypto occisa fuissent: sic nisi nos habuissemus sanctos episcopos et prædicatores fidei, piissimos principes, et constantes in fide parentes, ubi nos essemus? Forte in hæresi aut atheismo. Neque vero existimandum, factam esse hanc oblationem Christi tantum ob alienum illud beneficium, sed etiam ob proprium. Voluit enim Deipara sistere Deo Filium suum quemadmodum Anna Samuelem, in gratiarum actionem, quod ab eo illum acceperit ejusque beneficio hucusque in magna desolatione et paupertate sustentarit, et in medio nationis præva alieno in territorio salvum conservavit; Christus etiam ipsemet sistere se Patri suo voluit, gratias agendo pro eodem beneficio, secundum humanam naturam: et quemadmodum S. Bonaventura meditatur, una cum Matre columbas offerebat. Docemur ergo hic quam grati esse debeamus Deo pro beneficiis acceptis. Si vitæ suæ cursum quilibet examinare velit, inveniet se sæpius a Deo præservatum esse ab ingentibus periculis tam corporis quam animæ. Quoties succubissemus in tentationibus, quoties mortem corporalem incurrissemus, nisi per angelos suos aliaque auxilia Deus non servasset? Proinde animam et corpus nostrum Deo millies debemus. Et unde alia bona nostra, animæ, corporis, fortunæ supernaturalia obtineamus nisi a Deo? Hæc omnia igitur sistere coram Domino debemus: eique accepta ferre et dicere cum Davide, II. Reg. VII. *Dominus Deus meus, adduxit me hucusque! q. d. evexisti me ad regiam dignitatem et propheticam sapientiam ex vili domo et pastorali officio, per tot insidias, pericula, labores, servasti in prælio difficillimo cum Goliatho, defendisti me a Saule, etc. Denique, spirituales etiam filios nostros, id est, omnia bo-*

na opera nostra Deo sistere debemus, tamquam ipsius dona et nequaquam nobismetipsis adscribere: *Omnia enim opera nostra operatus es in nobis*, ait Isaias ad Deum, cap. XXVI.

IV. Ut ne scandali occasionem alicui præberet. Cum enim lateret adhuc homines Christi divinitas et Deiparæ virginitas, poterant scandalizari, si vidissent eos præceptum Domini non observare; singularitas enim et nolle subjici præceptis valde scandalizat: unde timendum in populo murmur erat, si virgo se purificationi et filium oblationi non præsentasset. Maluit itaque honore sibi debito carere Christus et Maria, quam offendiculi occasionem aliis præbere. Quantum hic arguuntur publicæ personæ, quæ nihil pensi habent quod sua libertate et præceptorum neglectione subditos et simplices scandalizent?

V. Ut doceret Christus pueros et adolescentes a teneris se offerre servitio divino: Deipara vero, parentes offerre liberos suos ad Dei cultum. Quantum hoc sit docebit nos historia, quam refert Gerardus de Fracheto, in vitis ff. Prædicatorum, duorum juvenum ex ordine Prædicatorum, qui pari adipiscendæ perfectionis ardore excitati, relicta patria, a qua simul oriundi erant, religionem inierunt. Uterque et constantiam et virtutem et pietatem probavit suam. Altero tamen eorum morbo decumbente, spemque evadendi nullam relincente: alter cum se in aliena regione destitutum iri solatio existimaret, nutabundus tum demum insinuavit infirmo, sibi admodum fo redifficile perseverare: æger vero solari pusillum animum quod Deo ita visum esset, polliceri deinde ne vel a morte quidem se ei defuturum; reversurum quoque et de statu suo certior redditurum. Discessit ergo et oranti post mortem socio apparuit sub tristi specie. Quærenti vero quemadmodum se haberet: « Non optime, ait, causamque sciscitanti: Patior, inquit, quippiam, non aliam ob causam quam quod cum novi soci de more darentur fratribus, acceptis novis veteres occultabam, contra regulæ statutum puritatemque paupertatis religiosæ: dixit etiam eosdem latere etiamnum ad pedes lecticæ; rogare se ut eos ad superiorem deferat, isque reatum in capitulo expositum solvat, ac orationibus sacrificiisque expiari faciat. Factum hoc est, ut petiit. Lætissimus demum apparuit socio, magno splendore coruscans, eductumque foras ad planitiem dum solatur, et ad constantiam hortatur, ecce fulgentissimorum hominum cohors summo ordine magnas cruces humeris deferentium in montem trajiciens cælum conscendebat. Novitius in admirationem raptus, illico in felicissimam illam turbam oculos conjicit, et dum eos aspectu

prosequitur: succedit deinde alius cuneus beatorum gestantium manibus triumphales cruces, quas nulla difficultate gestabant. Auxit admirationem juxta ac lætitiâ hic ordo militum priorum pone sequentium, cælorumque celsa petentium: sed continere præ gaudio sese vix potuit cum tertius ordo successit, duplo major, nam singulis sua crux a florentissimo quodam juvene præferebatur; cumque præcedentes turmas sequerentur et angelus defunctum novitium cum sua cruce adjungendum sese aliis accerseret, socius ejus: « Non ita, inquit, abilis priusquam rei gestæ seriem, triumque gloriosorum ordinum triumphos explicueris. » Beatus juvenis: « Quoscumque vidisti, ait, tribus hisce distinctis ordinibus, omnibus beata civitate donatos esse certo scias. Qui primi comparuere insignes crucibus, quas bajulabant humeris, ii sunt, qui ætate provectori sese Dei obsequio manciparunt; ideo longas latasque cruces præteritatum, scilicet, consuetudinum velut onera quædam, deportare coacti sunt. Secunda cohors est eorum, qui media ætate virtutem complexi sunt; et ii cruces gestant manibus, utpote portatu leviores. Qui vero agmen clausurunt, nec cruces, nec laborem sese tulisse insinuant, quia in tenera ætate, spiritus mundi illecebris perfectionis arcem ingressi, angelice vixerunt, totumque jugi Dominici pondus eorum angeli sustinuerunt, non ipsi. Si perseveraveris, nobis adjungeris, et beatus eris: ego vero Dei gratia cum illis ascendo. Bene vale. » Quibus dictis, alios secutus est, angelo suo duce ejusque crucem ferente.

VI. Ut doceret nos Deipara studere puritati et accuratæ purificationi animarum nostrarum. Tametsi enim ea purificandum nihil haberet, voluit tamen nihilominus purificari propter exemplum nostrum: quia silicet nobis frequentior et accuratior purgatio necessaria est. Quotidie enim non modo sordes contrahimus peccatorum, sed etiam reatus poenarum. Nihil autem coinquinatum intrabit in regnum cælorum, teste Domino, Matth. XIX. quia plateæ cælorum sunt ex auro mundissimo; ideo nemo calceatus, nemo sordidis admittitur pedibus. In hujus rei typum Moyses jubetur calceos exuere, antequam accedat ad Deum, Exod. III. Porro sicut Levit. XII. dies quadraginta præscripti erant feminis ad purificationem, si masculum peperissent; octoginta vero si feminam: quæ autem sterilis erat, maledicto subiciebat. Sic qui hic mascula, id est, perfecta pietatis edunt opera et viriles agunt poenitentias, intra quadraginta dies, id est, hac vita purificabuntur. Qui vero muliebria tantum et imperfecta peragunt virtutum et poenitentiarum opera, duplum

CONCIO II.

QUÆ POTISSIMUM PRIMOGENITA DEO OFFERENDA SINT.

- I. Primogenitum cujuscumque operis. — II. Primogenitum studiorum et negotiorum. — III. Primogenitum diei seu initium. — IV. Primogenitum ætatis. — V. Primogenitum filiorum.

THEMA.

Omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. Luc. II.

Tametsi lex illa vetus de sanctificandis Deo primogenitis (uti et cæremoniales omnes) per legem evangelii secundum litteram abolita est; non tamen juxta mysticam intelligentiam. Ratio enim cur Deus olim primogenita petierit ab Hebræis, est tum quia omnia ipsius sunt ratione creationis, tum quia eorum primogenita liberavit a percutiente angelo, Exod. XII. ut indicatur, Nu. VIII. Hæc autem ratio adhuc militat; omnia enim, quæ possidemus, Deo imprimis ut creatori debemus: deinde ut redemptori; ut creator omnia nobis subjecit, quæ in mundo sunt; ut redemptor etiam Filium suum dedit primogenitum, et cum illo omnia etiam quæ in cælo sunt. Si sciremus donum Dei, quod nobis impertiit ut creator, et quod rursum ut redemptor, quando nimirum non tantum mundum nobis subjecit, sed etiam ex inferno, quem toties merebamur, nos redemit; clare intelligeremus non omnia tantum nostra, sed nos ipsos etiam millies Deo deberi. Quid magni igitur a nobis petit, si primogenita nostra petit? Non petit jam a nobis primogenita filiorum aut jumentorum secundum litteram intellecta, quemadmodum a Judæis, sed tantum secundum spiritum, quæ nemo non dare potest. Qua vero ratione danda sint videamus.

I. Primogenitum operis cujuscumque, quod est intentio, quæ magis dirigit ad finem propositum omnes actiones. Ut enim collimatio præcedit jaculationem, sic intentio opus. Requirit hanc apostolus, I. Cor. X. cum ait: *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* In negotiatione corporali, intentio vendenti vel ementi parum aut nihil confert, non enim inde merces aut prætia nobilitantur, at in negotiatione spirituali plurimum; non ex ea pendet merces seu operis dignitas et pretium. Bona enim intentio operi (modo id ex se malum non sit) bonitatem tribuit: mala malitiam, licet opus bonum ex se esset, intentio nulla inutile facit opus coram Deo. Unde sequitur frustra laborare eum, qui operum suorum intentionem non offert Deo: similis illis qui mane pro-

temporis exsolvere debebunt purgationis suæ, in hac scilicet vita, et postea in purgatorio. Masculi igitur sunt, qui perfectas et rigidas agunt poenitentias et perfecta opera præstant, feminæ vero qui imperfecta: ut per ænigma Salomoni propositum declaratur. Refert enim Gregorius Cedrenus de Salomone reginam Saba inter alia tentasse solertiam Salomonis hoc modo: Formosos pueros et formosas puellas eodem vestitu et ornatu instructos coram eo constituit petiitque, ut inter sexum internosceret. Rex omnes lavare faciem jussit, itaque discrimen sexus deprehendit, cum mares fortiter atque valide facies tergerent, femellæ teneriter et timide. Viri esse debent qui cælum ingredi volunt, id est, laboribus assueti: non feminæ seu molles et delicati (ideo in numero discumbentium non numerantur feminæ in historia de multiplicatione panum). Vis autem scire quinam viri sint? Illi sint, qui fortiter et constanter arripiunt poenitentiam, quique aspera subeunt virtutum opera, ut qui audacter arripiunt pecuniam et dant pauperibus, siquidem per elemosynam lavatur facies conscientiæ: *Date elemosynam et ecce omnia munda sunt vobis*, Luc. XI. *et elemosyna a morte liberat, et ipsa est, quæ purgat peccata, et facit invenire misericordiam et vitam æternam*, Tob. XII. Qui vero timide et parce largiuntur, delicate jejulant, et respuunt poenitentiarum opera, feminæ sunt; nec computabuntur inter eos qui in cælo discumbunt. Qui autem prorsus steriles sunt, camino tartareo commendabuntur. Quod si igitur nihil illuc purgandum iuferre volumus, crebro et accurate purgemur hic. Elephas certe singulis lunis novis in flumine se purificat, ut Pier. in hierogl. lib. II. refert: cur non item singulis mensibus unusquisque suam conscientiam? Quis in collo vel domo sua sordes diu tolerat? Nonne indusium mutas quovis octiduo? Nonne hypocausum verris omni sabbato? Cur non idem facies animæ et conscientiæ tuæ?

Ergo, auditores, concipiamus hodie novum et serium propositum crebrius in posterum et accuratius purificandi animas nostras. Ad quid enim Ecclesia festum hoc aliaque per annum recollit, nisi ut eadem nos spiritualiter agamus in nobis; et quod olim gestum nunc iterum in nobis fiet? Si ergo offerri Christus voluit, offeramus et nos Deo? Si Mater ejus purificari, purificemur etiam nos, si in manibus gestamus lumina, ne sint tenebræ in cordibus: si benedicimus candelas, benedictionem etiam nostri a Deo impetremus.